

I complementi di luogo e di tempo

VERSIONE 1 Viaggi dell'imperatore Adriano

Compositis in Britannia rebus, Hadrianus transgressus in Galliam, in honorem Plotinae, Traiani uxoris, basilicam apud Nemausum ("Nimes") mirabili opere exstruxit. Inde Hispanias petiit et Tarracone hiemavit, ubi sumpto suo aedem Augusti restituit. Post haec per Asiam et insulas ad Achaïam navigavit et Eleusinia sacra exemplo Herculis Philippique suscepit. Post in Siciliam navigavit, in qua Aetnam montem conscendit, ut solis ortum videret arcus. Inde Romam venit atque ex ea in Africam transiit ac multa beneficia provinciis Africanis adtribuit. Denique, cum post Africam Romam redisset, statim ad Orientem profectus, per Athenas iter fecit atque opera, quae apud Athenienses coeperat, dedicavit, ut Iovis Olympii aedem et aram sibi; eodemque modo, per Asiam iter faciens, templa sui nominis consecravit. Nec quisquam fere principum tantum terrarum tam celeriter peragravit. (Elio Sparziano)

VERSIONE 2 Felice presagio dato da un lupo

Romani contra Samnites pugnabant. Samnitibus Galli socii erant. Romani Per biduum lacesiverunt proelio Gallos; biduo nihil dignum dictu actum est; pauci utrimque ceciderunt et militum animi inritati sunt ad iustum ("regolare") certamen. Tertio die descensum in campum omnibus copiis est. Cum instructae acies starent, cerva fugiens lupum e montibus exacta per campos inter duas acies decurrit: inde diversae ferae, cerva ad Gallos, lupo ad Romanos cursum deflexit. Lupo data est inter ordines via; cervam Galli conflixerunt. Tum ex antesignanis Romanus miles: "Illac fuga" inquit "et caedes vertit, ubi sacram Dianae feram iacentem videtis; hinc victor Martius lupo, integer et intactus, gentis nos Martiae et conditoris nostri admonuit". (da Livio)

VERSIONE 3 Fuga di Annibale esule

Hannibal, Carthagine egressus, nocte Byzacium transgressus, postero die ad mare inter Acyllam et Thapsum ad suam turrem pervenit. Ibi eum parata instructaque remigio ("di equipaggio") excepit navis, ita ex Africa excessit, saepius patriam quam fortunam suam miseratus ("commiserando"). Eodem die, Cercinam in parvam insulam traiecit, ubi cum in portu naves aliquot Phoenicum onerarias ("da carico") invenisset, veritus ne ("temendo che") qua earum navis, nocte profecta, Thapsum vel Hadrumetum nuntiaret ipsum Cercinae esse, quam celerrime potuit ancoras solvit et prospero cursu Tyrum appulit, ubi a conditoribus Carthagini benigne exceptus est. Tyro paucos moratus dies, Antiochiam navigat. Ibi cum audivisset iam regem Antiochum in Asiam profectum esse, comiter a regis filio exceptus est. Postea Ephesi regem est consecutus, et Antiochum invenit fluctuantem adhuc animo incertumque de bello in Romanos. (da Livio)

VERSIONE 4 Cicerone sta per tornare a Roma

Exposui, patres conscripti, profectionis consilium ("motivo"); nunc reversionis, quae plus admirationis habet, breviter exponam. Cum Brundisium iterque illud, quod tritum in Graeciam est, non sine causa vitavissim, Kalendis Sextilibus veni Syracusas, quod ab ea urbe transmissio in Graeciam laudabatur ("era raccomandata"). Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promuntorium agri Regini, venti detulissent, ab eo loco conscendi ut transmitterem ("mi imbarcai per fare la traversata"); nec ita multum profectus, reiectus

austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. Cumque intempesta nox esset mansissemque in villa P. Valerii, comitis et familiaris mei, postridieque apud eundem manerem ventum exspectans, municipes Regini complures ad me venerunt, ex iis quidam Româ recentes (“tornati da poco”); a quibus primum accipio M. Antoni contionem (“discorso tenuto al popolo”), quae mihi ita placuit, ut, eā lectā, de reversione primum coeperim cogitare. Addebant preterea Kalendis Septembribus senatum frequentem fore et Antonium ad auctoritatem senatus esse rediturum. Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi neque venti satisfacerent. (da Cicerone)

VERSIONE 5 Un'ambasceria di Cesare a Pompeo

Cognita militum voluntate, Caesar Ariminum cum legione XIII proficiscitur, ibique tribunos plebis, qui ad eum confugerant, conveñit. Reliquas legiones ex hibernis evōcat et subsēqui iussit. Eo L. Caesar adulescens venit, cuius pater Caesaris erat legatus. Is, reliquo sermone confecto, cuius rei causa venerat, habere se a Pompeio ad eum privati officii mandata demonstrat. Eādem fere atque eisdem verbis praetor Roscius agit cum Caesare sibique Pompeium commemoravisse demonstrat. Caesar, hos idoneos nactus homines, per quos ea quae vellet ad eum perferrentur, petit ab utroque ne graverentur sua quoque ad eum postulata deferre. Acceptis mandatis, Roscius cum L. Caesare Capuam pervenit ibique consules Pompeiumque invenit; postulata Caesaris renuntiat. (da Cesare)

Il periodo ipotetico

VERSIONE 1 Come Ulisse fu convinto a combattere contro Troia

Agamemnon et Menelaus, Atrei filii, cum ad Troiam oppugnandam coniuratos duces ducerent, in insulam Ithacam ad Ulixem, Laertis filium, venerunt. Ulixi erat responsum, si ad Troiam iisset, post vicesimum annum solum sociis perditis egentem, rediturum esse domum. Itaque cum sciret ad se oratores venturos, insaniam simulans pileum sumpsit et equum cum bove iunxit ad aratrum. Quem Palamedes ut vidit, sensit eum simulare atque Telemachum, filium eius, cunis sublatum aratro ei subiecit et ait: “Simulatione depositā, inter coniuratos duces veni”. Tunc Ulixes fidem dedit se venturum, sed ex eo Palamedi infestus fuit. (da Igino)

VERSIONE 2 Ifigenia

Agamemnon cum Menelao fratre, Achaiae delectis ducibus Helenam uxorem Menelai, quam Alexander Paris avexerat, repetitum ad Troiam cum irent, in Aulide tempestas eos irā Dianae retinebat, quod Agamemnon in venando cervam eius violavit superbiusque in Dianam est locutus. Is cum haruspices convocavisset et ex iis Calchas respondisset se aliter expiare non posse, nisi Iphigeniam filiam Agamemnonis immolavisset, re audita, Agamemnon recusare coepit. Tunc Ulixes eum consiliis ad rem pulchram transtulit: idem Ulixes cum Diomede ad Iphigeniam adducendam missus est, qui cum ad Clytaemnestram, matrem eius, venisset, ementitur Ulixes eam Achilli in coniugium dari. Quam cum in Aulidem adduxisset et pater eam immolare vellet, Diana virginem miserata est et caliginem eis obiecit cervamque pro ea suppositus Iphigeniamque per nubes in terram Tauricam detulit ibique templi sui sacerdotem fecit. (da Igino)

VERSIONE 3 Pirro muove guerra contro i Romani

Eodem tempore Tarentinis, qui iam in ultima Italia sunt, bellum indictum est, quia legatis Romanorum iniuriam fecissent. Hi Pyrrum, Epiri regem, contra Romanos in auxilium poposcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. Is mox ad Italiam venit, tumque primum Romani cum transmarino hoste dimicaverunt. Missus est contra eum consul P. Valerius Laevinus, qui cum exploratores Pyrrici cepisset, iussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum tumque dimitti, ut renuntiarent Pyrrico quaecumque a Romanis agerentur. Commissa mox pugna, cum iam Pyrrus fugeret, elephantorum auxilio vicit, quos incognitos Romani expaverunt. Sed nox proelio finem dedit; Laevinus tamen per noctem fugit, Pyrrus Romanos mille octingentos cepit et eos summo honore tractavit, occisos sepelivit. Quos cum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos iacere vidisset, tulisse ad caelum manus dicitur cum hac voce ("con queste parole, che"), se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent. (Eutropio)

VERSIONE 4 Fallisce il tentativo di pace avviato da Pirro

Postea Pyrrus, coniunctis sibi Samnitibus, Lucanis, Brittiis, Romam perrexit, omnia ferro ignique vastavit. Mox terrore exercitus, qui eum cum consule sequebatur, in Campaniam se recepit. Legati ad Pyrrum de redimendis captivis missi ab eo honorifice suscepti sunt. Captivos sine pretio Romam misit. Unum ex legatis Romanorum, Fabricium, sic admiratus, cum eum pauperem esse cognovisset, ut quarta parte regni promissa sollicitare voluerit, ut ad se transiret, contemptusque est a Fabricio. Quare cum Pyrrus Romanorum ingenti admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem aequis condicionibus peteret. Pax displicuit remandatamque Pyrrico est a senatu eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. Tum Romani iusserunt captivos omnes, quos Pyrrus reddiderat, infames haberi, quod armati capi potuissent, nec ante eos ad veterem statum ("nella condizione precedente", prima che fossero dichiarati "disonorati") reverti, quam si binorum hostium occisorum spolia retulissent. Missi sunt contra Pyrrum duces P. Sulpicius et Decius Mus consules. Certamine commisso, Pyrrus vulneratus est, elephantum interfectum, viginti milia caesa hostium, et ex Romanis tantum quinque milia; Pyrrus Tarentum fugatus. (Eutropio)

VERSIONE 5 L'onestà del console Fabrizio

Interiecto anno, contra Pyrrum Fabricius est missus, qui prius inter legatos sollicitari non potuerat, quarta regni parte promissa. Tum, cum vicina castra ipse et rex haberent, medicus Pyrrici nocte ad eum venit, promittens veneno se Pyrrum occisurum, si sibi aliquid polliceretur. Quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum Pyrricoque dici quae contra caput eius medicus spondisset. Tum rex admiratus eum dixisse fertur: "Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate quam sol a cursu suo averti potest". Tum rex ad Siciliam profectus est. Fabricius, victis Lucanis et Samnitibus, triumphavit. Consules deinde M. Curius Dentatus et Cornelius Lentulus adversum Pyrrum missi sunt. Curius contra eum pugnavit, exercitum eius cecidit, ipsum Tarentum fugavit, castra cepit. Ea die caesa hostium viginti tria milia. Curius in consulatu triumphavit. Primus Romam elephantos quattuor duxit. Pyrrus etiam a Tarento mox recessit et apud Argos, Graeciae civitatem, occisus est. (Eutropio)

VERSIONE 6 La grandezza di Annibale

Hannibal, Hamilcaris filius, Carthaginiensis. Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superaverit, non est infitandum ("negare") Hannibalem tanto praestitisse ceteros imperatores prudentia, quanto populus Romanus antecedit fortitudine

cunctas nationes. Nam quotienscumque Hannibal cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior. Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic conservavit, ut prius animam quam id deposuerit, qui quidam (“e cosicché egli”), cum patria pulsus esset et alienarum opum indigeret, numquam destiterit animo bellare cum Romanis. (Cornelio Nepote)

VERSIONE 7 Eumene si prepara a combattere contro i Macedoni

Interim conflata sunt illa bella, quae ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnesque concurrerunt ad Perdiccam opprimendum. Quem etsi Eumenes infirmum videbat, quod unus omnibus resistere cogeatur, tamen amicum non deseruit neque salutis quam fidei fuit cupidior. Praefecerat hunc Perdiccas ei parti Asiae, quae inter Taurum montem iacet atque Hellespontum, et illum unum opposuerat Antipatro ac Cratero, Europaeis adversariis; Perdiccas ipse Aegyptum oppugnatum adversus Ptolemaeum erat profectus. Eumenes cum neque magnas copias neque firmas haberet, quod et inexercitatae et non multo ante erant contractae (“arruolate”), adventare autem dicerentur Hellespontumque transisse Antipater et Craterus magno cum exercitu Macedonum, viri cum claritate tum usu belli praestantes. Macedones vero milites ea tum erant fama, qua nunc Romani feruntur (etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summa imperii potirentur). Eumenes intellegebat, si copiae suae cognovissent, adversus quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul cum nuntio dilapsuras esse. Itaque hoc ei visum est prudentissimum, ut devii itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent, et his persuaderet se contra quosdam barbaros proficisci. Itaque tenuit hoc propositum et prius in aciem exercitum eduxit proeliumque commisit, quam milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum praeoccupatione (“occupò in precedenza posizioni tali”), ut equitatu potius dimicaret, quo (“nella quale”) plus valebat, quam peditatu, quo erat deterior. (da Cornelio Nepote)

VERSIONE 8 La condotta di Pausania desta dei sospetti

Pausanias apparatu regio utebatur, veste Medica (“persiana”); satellites Medi et Aegyptii sequebantur, epulabatur more Persarum luxuriosius, quam (“perché non”) qui aderant, perpeti possent. Aditum petentibus conveniendi non dabat, superbe respondebat, crudeliter imperabat. Id postquam Lacedaemonii rescierunt, legatos cum clava (“bastone” intorno a cui era arrotolato un testo scritto) ad eum miserunt, in qua erat scriptum nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos esse. Hoc nuntio commotus, sperans se etiam tum pecunia et potentia instans periculum posse depellere, domum rediit. Huc ut venit, ab ephoris in vincla publica est coniectus. Hinc tamen se expedit; neque eo magis carebat suspicione. Nam opinio manebat eum cum rege habere societatem. Est genus quoddam hominum, quod Hilotae vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedaemoniorum colit servorumque munere fungitur. Hos quoque sollicitare spe libertatis existimabatur. Sed quod (“poiché”) nullum erat apertum crimen (“prova certa”), quo argui posset, Lacedaemonii putabant de tali tamque claro viro suspicionibus non oportere iudicari, sed sibi expectandum esse dum se ipsa res aperiret. (da Cornelio Nepote)

VERSIONE 9 Un episodio della guerra civile

Erat inter oppidum Ilerdam et proximum collem, ubi castra Petreius atque Afranius (luogotenenti di Pompeo, avversario di Cesare) habebant, planities circiter passuum CCC, atque in hoc fere medio spatium tumulus erat paulo editior; quem Caesar confidebat si

occupavisset et communisset, ab oppido et ponte et commeatu omni, quem in oppidum contulerant, se interclusurum esse adversarios. Hoc sperans, legiones III ex castris educit atque, acie in locis idoneis instructa, unius legionis antesignanos (“le truppe più avanzate”) procurrere atque eum tumulum occupare iubet. Qua re cognita, celeriter quae Afranii cohortes in statione pro castris erant, brevior itinere ad eundem occupandum locum mittuntur. Contenditur proelio, et quod prius in tumulum Afraniani venerant, nostri repelluntur atque aliis submissis subsidiis terga vertere seque ad signa legionum recipere coguntur. (da Cesare)

VERSIONE 10 Galli e Romani si preparano ad uno scontro

Ti. Sempronius consul in Boiorum primum agrum legiones duxit. Boiorix (“Boiorige”) tum regulus eorum cum duobus fratribus tota gente concitata ad rebellandum, castra locis apertis posuit, ut appareret se dimicaturus esse, si hostis fines intravisset. Consul ubi sensit quantaecopiae, quanta fiducia esset hosti, nuntium ad collegam mittit, ut, si videretur ei, maturaret venire; dicit se tergiversando in adventum eius rem extracturum esse. Per biduum Galli nihil aliud quam steterunt parati ad pugnandum, si quis contra egrederetur; tertio subierunt ad vallum castraque simul ab omni parte adgressi sunt. Consul arma extemplo capere milites iussit; armatos inde paulisper continuit, ut et stolidam fiduciam hosti auget et disponeret copias, quibus quaeque portis erumperent. (da Livio)

VERSIONE 11 Superiorità della legislazione dei Romani

Multis ex rebus intellegi potest maiores nostros non modo armis plus quam ceteras nationes, verum etiam consilio sapientiaque potuisse. Qua in re, quantum prudentia praestiterint iis qui apud ceteros sapientissimos esse dicuntur, considerate. Prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur; eius (“di quella”) porro (“inoltre”) civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, eum qui leges, quibus quoque hodie utuntur, scripserit. Is cum interrogaretur cur nullum supplicium constituisset in eum qui parentem necavisset, respondit se id neminem facturum esse putavisse. Sapienter fecisse dicitur, cum (“poiché”) nihil sanxerit de eo, quod antea commissum non erat. Quanto nostri maiores sapientius fecerunt! Qui cum intellegerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt. (da Cicerone)

VERSIONE 12 Cesare si accinge ad assediare Marsiglia

Haec dum inter eos aguntur, Domitius navibus Massiliam pervenit atque ab eis (“dagli abitanti della città”) receptus urbi praeficitur. Eius imperio classem dimittunt; onerarias naves, quas ubique possunt, deprehendunt atque in portum deducunt, parum clavium aut materiae atque armamentis instructis ad reliquas armandas reficiendasque utuntur; frumenti quod inventum est, in publicum (“nei magazzini della città”) conferunt; reliquas merces commeatusque ad obsidionem urbis, si accidat, reservant. Quibus iniuriis permotus Caesar legiones tres Massiliam adducit; turres vineasque (“vinee”, particolare tipo di macchina da assedio) ad oppugnationem urbis agere, naves longas Arelate (“ad Arles”, altra città della Gallia) numero XII facere instituit. Quibus effectis et armatis, adductae sunt Massiliam. His D. Brutum praeficit, C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliae relinquit. (da Cesare)

VERSIONE 13 La patria e Catilina

Nunc te patria, quae communis est parens omnium nostrum, odit ac metuit et iam diu nihil te iudicat nisi de parricidio suo cogitare; huius tu neque auctoritatem vereberis nec iudicium sequeris nec vim pertimesces? Quae tecum, Catilina, sic agit et quodam modo tacita loquitur: "Nullum iam aliquot annis facinus exstitit nisi per te, nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad negligendas leges et quaestiones ("processi"), verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen tuli; nunc vero puto me totam esse in metu propter unum te. Quam ob rem discede atque hunc mihi timorem eripe; si est verus, ne opprimar, sin ('se invece') falsus, ut tandem aliquando time're desinam". (da Cicerone)

Il discorso indiretto

VERSIONE 1 Il coraggio di Attilio Regolo

Carthaginienses Atilium Regulum ducem, quem ceperant, petiverunt, ut Romam proficisceretur et pacem a Romanis obtineret ac permutationem captivorum faceret. Ille Romam cum venisset, inductus in senatum, nihil quasi ("come") Romanus egit dixitque se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desisse. Itaque et uxorem a complexu removit et senatui suasit, ne pax cum Poenis fieret: illos, fractos tot casibus, spem nullam habere; se tanti non esse ("avere così tanto valore"), ut tot milia captivorum propter unum se et senem et paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur. Itaque obtinuit. Ipse Carthaginem rediit, offerentibusque Romanis, ut eum Romae tenerent, negavit se in ea urbe mansurum esse, in qua, postquam Afris servierat, dignitatem honesti civis habere non posset. Regressus igitur ad Africam omnibus suppliciis extinctus est. (da Eutropio)

VERSIONE 2 Filippo di Macedonia accetta le condizioni di pace

Transacto Punico bello, secutum est Macedonicum contra Philippum regem quingentesimo quinquagesimo et primo anno ab urbe condita. T. Quintius Flamininus, adversum Philippum missus, rem prospere gessit. Pax ei (= Philippo) data est his legibus: ne Graeciae civitatibus, quas Romani contra eum defenderant, bellum inferret; ut captivos et transfugas redderet; quinquaginta solas naves haberet, reliquas Romanis dederet; per annos decem quaterna milia pondo argenti praestaret et obsidem daret filium suum Demetrium. T. Quintius etiam Lacedaemoniis intulit bellum. Ducem eorum Nabidem vicit et quibus voluit condicionibus in fidem accepit. Ingenti gloria triumphavit; duxit ante currum nobilissimos obsides, Demetrium, Philippi filium, et Armenen Nabidis. (Eutropio)

VERSIONE 3 La guerra contro Antioco, re di Siria

Transacto bello Macedonico, P. Cornelio Scipione M. Acilio Glabrione consulibus, secutum est Syriacum contra Antiochum regem, cui Hannibal se iunxerat postquam Carthaginem, patriam suam, relinquerat. Scipio Africanus, fratri suo L. Cornelio Scipioni consuli legatus ("come luogotenente") datus, contra Antiochum profectus est. Hannibal, qui cum Antiocho erat, navali

proelio victus est. Ipse postea Antiochus circa Sipylum apud Magnesiam, Asiae civitatem, a consule Cornelio Scipione ingenti proelio fusus est. Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes, Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit. Quinquaginta milia peditum, tria equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt. Tum rex pacem petit. Isdem condicionibus data est a senatu, quamquam victo, quibus ante offerebatur: ut ex Europa et Asia recederet atque intra Taurum se contineret, decem milia talentorum et viginti obsides praeberet, Hannibalem, concitatore belli, dederet. Eumeni regi donatae sunt a senatu omnes Asiae civitates, quas Antiochus bello perdiderat, et Rhodiis, qui auxilium Romanis contra regem Antiochum tulerant, multae urbes concessae sunt. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit. Nomen et ipse ad imitationem fratris Asiagenis accepit, quia Asiam vicerat, sicuti frater ipsius propter Africam domitam Africanus appellabatur. (Eutropio)

VERSIONE 4 Le popolazioni della Gallia si rivolgono a Cesare

Helvetii iam per angustias et fines Sequanorum suas copias traduxerant et in Haeduum fines pervenerant eorumque agros populabantur. Haedui, cum se suaque ab iis defendere non possent, legatos ad Caesarem mittunt rogatum auxilium: ita se omni tempore de populo Romano meritos esse ut, paene in conspectu exercitus nostri, agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint. Eodem tempore Haedui Ambarri, necessarii et consanguinei Haeduum, Caesarem certiore faciant sese, depopulatis agris, non facile ab oppidis vim hostium prohibere. Item Allobroges, qui trans Rhodanum vicos possessionesque habebant, fugam se ad Caesarem recipiunt et demonstrant sibi praeter agri solum nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus Caesar non expectandum sibi statuit dum, omnibus fortunis sociorum consumptis, in Santonos Helvetii pervenirent. (da Cesare)

VERSIONE 5 Cesare e Pompeo si studiano da lontano

Pompeius his rebus cognitis, quae erant ad Corfinium gestae, Luceria proficiscitur Canusium atque inde Brundisium. Copias undique omnes ex novis dilectibus ad se cogi iubet; servos, pastores armat atque eis equos attribuit; ex his circiter CCC equites conficit. L. Manlius praetor Alba cum cohortibus sex profugit, Rutilius Lupus praetor Tarracina cum tribus; quae procul equitatum Caesaris conspicatae, cui praeerat Vibius Curius, relicto praetore signa, ad Curium transferunt atque ad eum transeunt. Item reliquis itineribus ("tappe") nonnullae cohortes in agmen Caesaris, aliae in equites incidunt. Reducitur ad eum deprehensus ex itinere N. ("Numerio") Magius Cremona, praefectus fabrum Cn. Pompei. Quem Caesar ad eum remittit cum mandatis: quoniam ad id tempus facultas colloquendi non fuerit, atque ipse Brundisium sit venturus, interesse rei publicae et communis salutis se cum Pompeio colloqui; neque vero, cum per alios condiciones ferantur, longo itineris spatio, idem profici ("esserci lo stesso vantaggio"), ac si coram de omnibus condicionibus disceptetur. (da Cesare)

VERSIONE 6 Come Temistocle aggirò il divieto degli Spartani

Postquam Lacedaemonii audierunt (= audiverunt) muros (le "lunghe mura", che collegavano Atene al Pireo) instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. Eis praesentibus, Athenienses desierunt ("interruppero la costruzione") ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles et solus primo profectus est cum hoc praecepto: ut reliqui legati tum exirent, cum satis altitudo muri exstructi viderentur, interim omnes, servi atque liberi, opus facerent neque ulli loco parcerent, sive sacer, sive privatus esset sive publicus, et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Quo

factum est, ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque constarent. Themistocles autem, ut Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, causam interponens se collegas exspectare. Cum Lacedaemonii quererentur opus nihilo minus fieri (“perché il lavoro intanto progrediva”), reliqui legati sunt consecuti (“arrivarono a Sparta”). A quibus cum Themistocles audivisset non multum superesse munitionis (“che le mura erano quasi completate”), ad ephoros Lacedaemoniorum accessit (“si presentò”, e disse): falsa iis esse delata; quare aequum esse illos mittere viros bonos nobilesque, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent. Ita tres legati Athenas missi sunt. Cum his, collegas suos Themistocles iussit proficisci hisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent quam ipse esset remissus. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedaemoniorum adiit et apud eos liberrime professus est: Athenienses, suo consilio, deos publicos suosque patrios ac penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris saepsisse; neque quod inutile esset universae Graeciae, fecisse; nam illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse barbaris; quare, si suos legatos, quos Athenas miserant, recipere vellent, se (=Themistoclem) remitterent; aliter, illos numquam in patriam essent recepturi. (da Cornelio Nepote)

VERSIONE 7 L'ambasceria degli Aduatuci a Cesare

Ubi vero moveri et adpropinquare muris viderunt, nova atque inusitata specie commoti legatos ad Caesarem de pace miserunt, qui ad hunc modum locuti: non se existimare Romanos sine ope divina bellum gerere, qui tantae altitudinis machinationes tanta celeritate promovere possent; se suaque omnia eorum potestati permittere dixerunt. Unum petere ac deprecari: si forte pro sua clementia ac mansuetudine, quam ipsi ab aliis audirent, statuisset Aduatucos esse conservandos, ne se armis despoliaret. Sibi omnes fere finitimos esse inimicos ac suae virtuti invidere; a quibus se defendere traditis armis non possent. Sibi praestare, si in eum casum deducerentur, quamvis fortunam a populo Romano pati quam ab his per cruciatum interfici inter quos dominari consuissent (= consuevissent). (Cesare)

VERSIONE 8 La risposta di Cesare agli Aduatuci

Ad haec Caesar respondit: se magis consuetudine sua quam merito eorum civitatem conservaturum esse, si prius quam murum aries attigisset se dedidissent; sed deditiois nullam esse condicionem nisi armis traditis; se id quod in Nervii fecisset facturum esse finitimisque imperaturum ne quam dediticiis populi Romani iniuriam inferrent. Re renunciata ad suos, illi se quae imperarentur facere dixerunt. Armorum magna multitudine de muro in fossam, quae erat ante oppidum, iacta, sic ut prope summam muri aggerisque altitudinem acervi armorum adaequarent, et tamen circiter parte tertia, ut postea perspectum est, celata atque in oppido retenta, portis patefactis eo die pace sunt usi. (Cesare)

VERSIONE 9 La madre di Dario cede alla notizia della morte del figlio

Ad Darei quoque matrem celeriter perlata est (soggetto: la notizia della morte di Dario). Abscissa ergo veste, quam induta erat, lugubrem sumpsit laceratisque crinibus humi corpus abiecit. Omnium mala suorum Sisigambis (la madre di Dario) una capiebat; illa suam, illa neptium vicem flebat. Recens dolor etiam praeterita revocaverat. Crederes modo amissum Dareum, et pariter miserae duorum filiorum exsequias esse ducendas. Flebat simul mortuos vivosque: quem enim puellarum acturum esse curam? quem alium futurum esse Alexandrum? iterum esse se captas, iterum excidisse regnum; qui mortuo Dareo ipsas tueretur, repperisse; qui post Alexandrum respiceret, utique non reperturas. subibat inter haec animum LXXX

fratres suos eodem die ab Ocho, saevissimo regum, trucidatos adiectumque stragi tot filiorum patrem; e septem liberis, quos genuisset ipsa, unum superesse; ipsum Dareum floruisse paulisper, ut crudelius posset extingui. Ad ultimum dolori succubuit, obvolutoque capite accidentes genibus suis neptem nepotemque aversata cibo pariter abstinuit et luce. Quinto, postquam mori statuerat, die extincta est. Magnum profecto Alexandri indulgentiae in eam iustitiaeque in omnes captivos documentum est mors huius, quae, cum sustinisset post Dareum vivere, Alexandro esse superstes erubuit. (Curzio Rufo)